



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Murmuratricis Mari[a]e imitatores quâ poenâ poenitentiâue digni?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Leuit. 13.

S. Ephrem de morbo linguæ.

Quippe murmuratio instar lepræ serpit, & inficit totum ali-
quod corpus communitatis. Qua de causa sicut leprosi olim
iussi sunt e castris eijci, & habitare seorsum, ita eiecta est e ca-
stris murmuratrix Maria; ita SS. Patres, & Religionum fun-
datores statuerunt, ut e coetibus sacris murmuratores separa-
rentur. *Ex teterrima Maria Prophetissa lepra docemur*, ait S.
Ephrem, *quàm graue & detestabile vitium sit obtreclatio. Corpus,*
quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit ani-
ma, qua non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa cor-
nis corruptione patefactum est, quo modo hominis detractoris cor-
rumpatur animus. Nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab
ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret.
Quod si autem & ipsa Mariæ murmuratio expendatur, poterit
ea leuis videri; contigit enim ob Sephoram Madianitidem, &
idcirco *Athiopissam* vocatam, quæ more muliebri voluit se
præferre Mariæ, eò quòd esset vxor Moysis, Moysenque suum
quasi populi ducem Mariæ & Aaroni prætulisset. Itaque ut
muliebris sexus imbecillis est, primùm concitata Maria, dein-
de per hanc incitatus etiam Aaron, se erigere ceperunt, non
Sephoræ tantùm, sed ipsi etiam Moyse æquantem, iactantem-
que, se æquè nobiles esse Prophetas, ac Moyses erat. Hæc inter
sanctos illos, & Mariæ illius, cui Dominus locutus fuerat, ex
æmulatione orta murmuratio lepram meruit, in diuino iudi-
cio, & septem dierum separationem.

IV.

Leuit. 13.
S. Ephrem de morbo linguæ.

371

Num. 12. 2.

Quid merebitur murmuratio non iam muliebris, sed vi-
rorum, & eorum, qui se doctos, qui religiosos, qui sanctos vo-
lunt haberi, & tamen re ipsa sunt arrogantes, Theones, supe-
riorum suorum censores, quibus se non æquant modò, sed
etiam anteponunt, qui rectores suos regere, & indices volunt
iudicare? hoc ipso indigni qui regant, quia regi nesciunt; sola
sua æstimatione idonei, aliorum iudicio inepti ad gubernan-
dum. Et videbis, non nisi vilissimos, & grandibus nauiis ple-
nos esse suorum maiorum contemptores, censores, murmura-
tores; siquidem superbia & æmulatione cæci aiunt: *Num per*
solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locu-
tus? quali Deus nesciat, quem subditum debeat facere, aut su-
periorem,

periores. Habet diuina illa sapientia suas iustissimas causas, cur aliquando etiam ineptiorem sinat alius promoueri, & digniorem premi. Fortasse vult & illum sic deiici, & hunc extolli. Sicut enim valde honorificum est, si queratur, *Cur iste non regit? Cur iste non est militia Dux? Cur iste non sedet in curia?* ita profecto tacite carpit, quisquis interrogat: *Cur regit iste? Istene est militia Dux?* aut cum Catullo dicit:

Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Sella in curuli Struma Nonius sedet:

Per consulatum peierat Vatinius.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Catull. ep. 53.

Ita vulgus loqui solet, vulgum tu sine suo more loqui; tu tibi sororem Moysis ante oculos pone, & Dei regimen ne inuade; qui si mulieris vnicam murmurationem lepra percussit, eamque quasi infamem, & non tantum fratris aspectu, sed etiam populi consortio indignam a castris separauit, quid illis faciet, qui non sola arrogantia sunt huic mulieri similes, sed etiam carpunt, quidquid a superioribus fieri cernunt; quod sanum est, sanare presumentes, cum ipsi vlceribus scateant. Quibus nisi Moysis soror in exemplum sufficit, legant apud Raderum historiam de Stylita Edesseno, qui quod fratrem suum germanum, aurum spernentem, simplicem iudicasset contempsissetque, eod quod ipse idem aurum prudenter, ut sibi videbatur in viros Religiosos & pauperes erogasset; ab Angelo redargutus, ac a fratre suo germano in omnem vitam separatus, iussusque quadraginta nouem annos stare in columna, post tam longam & duram poenitentiam, tandem veniam meruit, anno quinquagesimo, siue iubileo. Tunc enim apparens ei Angelus, peccatum remissum, eumque Dei gratia restitutum nunciauit. Si eadem vel Mariae poena, vel Stylitae poenitentia omnibus murmuratoribus nunc imponeretur, neque leproforum domus, neque columnae sufficientes possent edificari. Sed qui, ut poenitentiam agant, nihil patiuntur, aut non stant in columna, ante Dei tribunal stabunt.

Ma'th. Rader. de simplic. SS. c. 7.

Id multo magis verum esset, si lepra affiendi forent, qui vel per homicidia cum Ioab, vel per Simonias cum Giezi, vel

Eeeee 3 per